

teras. Utinam stipendium eidem possem impetrare. Quod reliquum est te totum, & pia tua studia, & tuos *ἑυμαρτὰς* Deo Patri per Christum unice commendo. Salutem tibi dicit Lavinia mea & Evolæ & cæterarum Charitum nomine. Basileæ 4. Octobr. 1581.

T. J. Gryneus.

## EPISTOLA IX.

**S** Ante paucos dies literas ad te, nobiliff. S. D. Compater, dedi, & indicem proverbiorum libris tuis, a Claudio adjungi curavi. Velim te tibi soli sic servare, ne in aliorum manus veniat scriptum non politum & plane extemporaneum. Ita enim & honori & pudori meo consules. Nolim autem magis amanter me ipsum, si Genevam venire contingeret, abs te excipi, quam hospites meos nobilissimos, D. Nicolaum a Seydlitz & D. Eberhardum Muffeltin (a) Lunæburgensem Patricium. Tanta enim utriusque virtus & eruditio est, ut si genere nobiles non essent (sunt autem ambo nobilissimi) tamen

(a) Thomam, ad quem Gryneus de *Turture* epistolam misit a *Sculteto* editam p. 457.